

Prophetia Jonæ

Cap. 1 ¹ Et factum est verbum Domini ad Jonam, filium Amathi, dicens : ² Surge, et vade in Niniven, civitatem grandem, et prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me. ³ Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini, et descendit in Joppen : et invenit navem euntem in Tharsis, et dedit naulum ejus, et descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis a facie Domini. ⁴ Dominus autem misit ventum magnum in mare : et facta est tempestas magna in mari, et navis periclitabatur conteri. ⁵ Et timuerunt nautæ, et clamaverunt viri ad deum suum, et miserunt vasa quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis ; et Jonas descendit ad interiora navis, et dormiebat sopore gravi. ⁶ Et accessit ad eum gubernator, et dixit ei : Quid tu sopore deprimeris ? surge, invoca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, et non pereamus. ⁷ Et dixit vir ad collegam suum : Venite et mittamus sortes, et sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, et cecidit sors super Jonam. ⁸ Et dixerunt ad eum : Indica nobis cujus causa malum istud sit nobis : quod est opus tuum ? quæ terra tua, et quo vadis ? vel ex quo populo es tu ? ⁹ Et dixit ad eos : Hebræus ego sum, et Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare et aridam. ¹⁰ Et timuerunt viri timore magno, et dixerunt ad eum : Quid hoc fecisti ? cognoverunt enim viri quod a facie Domini fugeret, quia indicaverat eis. ¹¹ Et dixerunt ad eum : Quid faciemus tibi, et cessabit mare a nobis ? quia mare ibat, et intumescebat. ¹² Et dixit ad eos : Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis : scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos. ¹³ Et remigabant viri ut reverterentur ad aridam, et non valebant, quia mare ibat, et intumescebat super eos. ¹⁴ Et clamaverunt ad Dominum, et dixerunt : Quæsumus, Domine, ne pereamus in anima viri istius, et ne des super nos sanguinem innocentem : quia tu, Domine, sicut voluisti, fecisti. ¹⁵ Et tulerunt Jonam, et miserunt in mare : et stetit mare a

fervore suo. **16** Et timuerunt viri timore magno Dominum :
et immolaverunt hostias Domino, et voverunt vota.

Cap. 2 **1** Et præparavit Dominus piscem grandem ut
deglutiret Jonam : et erat Jonas in ventre piscis tribus
diebus et tribus noctibus. **2** Et oravit Jonas ad Dominum
Deum suum de ventre piscis, **3** et dixit :

Clamavi de tribulatione mea ad Dominum,
et exaudivit me ;

de ventre inferi clamavi,
et exaudisti vocem meam.

4 Et projecisti me in profundum in corde maris,
et flumen circumdedit me :
omnes gurgites tui, et fluctus tui super me transierunt.

5 Et ego dixi :

Abjectus sum a conspectu oculorum tuorum ;
verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

6 Circumdederunt me aquæ usque ad animam :
abyssus vallavit me,
pelagus operuit caput meum.

7 Ad extrema montium descendi ;
terræ vectes concluserunt me in æternum :
et sublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus
meus.

8 Cum angustiaretur in me anima mea,
Domini recordatus sum :
ut veniat ad te oratio mea,
ad templum sanctum tuum.

9 Qui custodiunt vanitates frustra,
misericordiam suam derelinquunt.

10 Ego autem in voce laudis immolabo tibi :
quæcumque vovi, reddam pro salute Domino.

11 Et dixit Dominus pisci, et evomuit Jonam in aridam.

Cap. 3 **1** Et factum est verbum Domini ad Jonam
secundo, dicens : **2** Surge, et vade in Niniven, civitatem
magnam, et prædica in ea prædicationem quam ego
loquor ad te. **3** Et surrexit Jonas, et abiit in Niniven juxta

verbum Domini : et Ninive erat civitas magna, itinere trium dierum. ⁴ Et cœpit Jonas introire in civitatem itinere diei unius : et clamavit, et dixit : Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur. ⁵ Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis, a majore usque ad minorem. ⁶ Et pervenit verbum ad regem Ninive : et surrexit de solio suo, et abjecit vestimentum suum a se, et indutus est sacco, et sedit in cinere. ⁷ Et clamavit, et dixit in Ninive ex ore regis et principum ejus, dicens : Homines, et jumenta, et boves, et pecora non gustent quidquam : nec pascantur, et aquam non bibant. ⁸ Et operiantur saccis homines et jumenta, et clament ad Dominum in fortitudine : et convertatur vir a via sua mala, et ab iniquitate quæ est in manibus eorum. ⁹ Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et revertatur a furore iræ suæ, et non peribimus ? ¹⁰ Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala : et misertus est Deus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

Cap. 4 ¹ Et afflictus est Jonas afflictione magna, et iratus est : ² et oravit ad Dominum, et dixit : Obsecro, Domine, numquid non hoc est verbum meum cum adhuc essem in terra mea ? propter hoc præoccupavi ut fugerem in Tharsis : scio enim quia tu Deus clemens et misericors es, patiens et multæ miserationis, et ignoscens super malitia. ³ Et nunc, Domine, tolle, quæso, animam meam a me, quia melior est mihi mors quam vita. ⁴ Et dixit Dominus : Putasne bene irasceris tu ? ⁵ Et egressus est Jonas de civitate, et sedit contra orientem civitatis : et fecit sibimet umbraculum ibi, et sedebat subter illud in umbra, donec videret quid accideret civitati. ⁶ Et præparavit Dominus Deus hederam, et ascendit super caput Jonæ, ut esset umbra super caput ejus, et protegeret eum (laboraverat enim) : et lætatus est Jonas super hedera lætitia magna. ⁷ Et paravit Deus vermen ascensu diluculi in crastinum : et percussit hederam, et exaruit. ⁸ Et cum ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido et urenti : et percussit sol super caput Jonæ, et

**æstuabat : et petivit animæ suæ ut moreretur, et dixit :
Melius est mihi mori quam vivere. ⁹ Et dixit Dominus ad
Jonam : Putasne bene irasceris tu super hederam ? Et dixit :
Bene irascor ego usque ad mortem. ¹⁰ Et dixit Dominus :
Tu doles super hederam in qua non laborasti, neque
fecisti ut cresceret ; quæ sub una nocte nata est, et sub
una nocte periit : ¹¹ et ego non parcam Ninive, civitati
magnæ, in qua sunt plus quam centum viginti millia
hominum qui nesciunt quid sit inter dexteram et sinistram
suam, et jumenta multa ?**